

sensam differentes. Contra verò si damnationem asserimus: magnus ut Deo serviant in timore, & exultent ei cum tremore, stimulus erit, eos admonens ne victoria triumphum sibi promittant dum in agone certantes, incertum habent quò perveniant. Hinc illæ Sanctorum Patrum terribiles sententia.

Argum.
6. Quid Salomone beatus? sed quia dormitavit, cecidit, ait Chriostom. hom. 40. & 80. ad pop. Antioche. Salomon sapientiam nec principio sui habuit, nec in fine possedit, Ambr. in Apologia David. Aversus enim à Dei cultu, non quasi sapiens sed quasi insipiens, lapsus est ut offenderet. Offendit in tantum, ut etiam quod meruerat, amitteret. Et serm. 15. in psalm. 118. Sampson captus est per uxorem, numquid tu fortior? Salomon captus est in uxore, numquid tu Sapientior? & Greg. lib. 2. moral. cap. 2. Salomon Sapientiam non perseveraturus accepit: & lib. 12. cap. 12. Salomon immoderato usu atque assiduitate mulierum, ad hoc perductus est ut templum idolis fabricaret; & qui prius Deo templum construxerat, assiduitate libidinis etiam perfidia substratus, idolis construere templa non timuit; sicque factum est ut ab assidua carnis petulantia usque ad mentis perfidiam perveniret. Atque ut omittamus Tertullianum lib. 2. contra Marcionem cap. 23. lib. 3. cap. 20. Cyprian. epist. 7. Bedam q. 29. in lib. Regum & alios, addamus tamen Augustinum lib. 17. de Civit. Dei cap. 20. pronuntiantem quod bonis ipsius malos exitus habuit, & in Psalm. 126. quod reprobatum est à Deo. In quem etiam sensum loquitur lib. 22. contra Faustum cap. 81. & 88. & post eum Prosper Aquitanicus p. 2. de prædictio. cap. 27. Ipse (ait) elatus Domino ipsum deferente male obiit.

Argum.
7. Postremò nec idola, nec idolorum fana demolitus est: si autem poenitentia fructus dignos faceret, satageret ante omnia, ut idola quæ edificaverat, tollerentur. Atque hæc, nec multò plura sunt quæ pro Salomoni poenitentia solent adduci. Videamus nunc quid salutis ejus afferendæ faveat, quid damnationi obset.

Pro salute Salomonis.
Et ut à Scriptura ordiamur, Culpatur quidem Ecclesiastici 47. quod dederit maculam in gloria sua, & prophaverit semen suum; sed nihilominus laudat illum Sapiens inter viros gloriosos & parentes suos: neminem verò ibi laudat qui non sit dignus laudari post vitam, magnificari post consummationem. Sed quæ magis urgeant profsequamur.

Secundi Paralip. 11. legitimus, *Confirmaverunt Roboam filium Salomonis per tres annos: ambulaverunt enim in viis David & Salomonis, annis tantum tribus.* Ambulare in vijs alicujus, phrasi scripturæ sacræ utilissima est eum in moribus ac vita imitari. Sicut ergo scriptura cuiusdam improperans quod in vijs alterius ambulaverit, significat illum hujus in malo imitorem, ut 3. Reg. 15. de Nadab: *Ambulavit in viis patris sui, & in peccatis ejus in quibus peccare fecit Israël.* Cap. 16. de Baasa, Zambri, & Amri, *Ambulavit in via Jeroboam.* c. 22. de Ochozia, *Ambulavit in via patris sui & matris sue, & in via Jeroboam filij Nabat qui peccare fecit Israël:* Ita cum eadem scriptura aliquibus laudi tribuit quod in aliorum vijs ambulaverint, procul dubio affirmat posteriores exemplo & imitatione priorum, Domino Deo servisse, mandata ejus servasse, & quod ei placitum erat

fecisse. Ut 3. Reg. 22. de Josaphat, *Ambulavit in omni via Asa patris sui, & non declinavit ex ea, fecitque quod rectum erat in conspectu domini.* 4. Reg. 22. de Jolia, *fecitque quod placitum erat coram Domino, & ambulavit per omnes vias David patris sui:* Hoc est, Davidem patrem suum julle ac religiose viventem toto corde est imitatus. Cum igitur populus divinis mandatis obtemperans ambulasse dicatur in vijs David & Salomonis; consequens est quod eo tempore bonorum exemplo bonus fuerit, quodque tum David tum Salomon tales fuerint, ad quorum normam mores ac vitam formare, sit piè vivere. Si dicas Scripturam 2. Paralip. 11. de vijs Salomonis prioribus intelligendam, quando perfecte Deo serviebat; Aut, in vijs Salomonis ambulasse populum bene viventem, quia præceptis ac legibus per Salomonem rectè institutis obediebat: ut nihil dicam de posteriori ista expositione, quod supradictio scripturæ loquendi modo haud satis conveniat, si præsertim Regum & Paralip. libros discutiamus; qui sit quod scriptor sacer Davidi jungat Salomonem? quod terminum ambulationis in vijs Salomonis, triennio definiat; cum si Salomon ex jultitia lapsus in peccatum, ad saniorè mentem non redijt, non jam annis tantum tribus in vijs Salomonis populus ambulaverit, sed valde multis, dum ejus exemplo bene cepit, ejusdemque imitatione lapsus male finiit? Qui sit quod scriptura neminem cum laude memoret ambulasse in vijs Achab, vel Jehu, qui aliquando boni, bene regnaverunt?

Hujus sententiæ probabilitatem vehementer auget quod Proverbiorum vigesimo quarto vers. 32. juxta editionem septuaginta interpretum, etiam Sixtinam Romæ imprellam, legimus. Ubi enim habemus; *Quod cum vidissem, posui in corde meo, & exemplo didici disciplinam;* septuaginta legunt: *Novissime ego egi poenitentiam, & respexi ut eligerem disciplinam.* Ad quæ verba scribens B. Hieron. in cap. 43. Ezechielis: *Non solum (ait) cultores templi & eduxi; sed & ipse fabricator ejus Salomon peccavit, & Deum offendi, licet postea egerit poenitentiam scribens Proverbia in quibus ait, Novissime ego egi poenitentiam.* Huc respexisse videtur & Cyrillus Jerof. 2. Catech. dicens: *Cernis quod poenitentibus datur salus? Et Salomon ceciderat: sed, quid inquit? postea ego egi poenitentiam.*

Objiciet vero quispiam, si hoc tam apertum testimonium legebatur in editione septuaginta: quare verum nonnulli tam Græci quam Latini, vel de Salomonis poenitentia dubitarunt, vel eam negaverunt? Responderi potest, quia etsi hoc testimonium legerant, non tamen de Salomone accipiebant, sed de alio quopiam in cujus persona loqui ipsum existimabant. Cæterum quod de seipso loquatur, & textui conformis est, & tam Hieronymus quam Cyrillus affirmant. In ipsum enim Salomonem apprimè convenit illud, *Per agrum hominis transivi;* quod rei quam dicit magnam experientiam significat; sicut & istud, *exemplo didici disciplinam:* & consequenter etiam hoc, *Novissime ego egi poenitentiam: respexi ut eligerem disciplinam.* Ex his porrò Salomonis in Proverbiorum libro verbis, duo colligimus: Unum, quod tandem aliquando poeniterit. Alterum, quod librum istum scripserit post amores suasque delicias. Quorum utrumque non obscure significavit etiam S. Ambrosius in Apologia David, dicens: